

flumen Muonio usque ad Kengis. *Ranunculus aquatilis* eradicatus a.
subaquaneus. Hujus forma minima, b. *exsiccatus* vix pollicaris ad ripas
lacuum exsiccatas post defluxum aquæ florens caule filiformi depresso, fo-
liis filiformibus, peltatis nullis, obvenit circa Karesuando. *Thalictrum*
flavum cum variis formis, ad Th. majus et simplex accedentibus,
obvenit circa flumen Tornense usque ad Karesuando. *Thalictrum ma-*
jus, ut videtur, nihil est nisi varietas *Th. flav*, quamquam, amisso spe-
cimine *Th. majoris* e Lapponia Kemensi, nihil certi de hac re statuere
audeam. *Carex dioica* var. *monoica*, spica superne mascula, lecta ad
Kemi 1831. *Carex vesicaria* var. *spicis omnibus sessilibus*, erectis;
masculis verticillatis, subandrogynis; capsulis maxime inflatis subglobosis.
Gramen maximum, foliis latis, lectum ad Kemi 1831. *Salix amygdalina*,
Kemi haud procul ab ipso templo.
